

1511 in Martio

Ex Cod. Diplom. Dogiel.

37

Littere Sigismundi Primi Regis, quibus Incolas Ducatus
Oppaviensis a iuramento sibi prestito Liberos facit. Datum Cra-
covie Feria Sexta ante Dominicam Reminiscere.

41

Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithvaniae, Rus-
siae, Prussiaeque etc. Dominus, et Haeres. Significamus tenore Presentium
um universis, et singulis presentibus, et futuris, presentes visuris, seu le-
cturis, quibus expedit. Quia subditi nostri cuiuscunque Status, et conditio-
nis, excellentiae, ac eminentiae, et Ordinis Ducatus Oppaviensis, nec non
et Civitatum virtutis bonitate clarentium, integritatem fidei, qua No-
bis obstricti, obligatione, medio Sacramento, sive fidei sponsione fuerunt
ab initio, quo Ducatus praefatus Oppaviensis Nostra potestati traditus ex-
stitit, usque in haecenus Nobis servaverunt, cum tamen Serenissimo
Principi, et Domino Vladislao Dei Gratia Hungariae Bohemiaeque etc.
Regi Fratri nostro charissimo ex Contractibus inter Nos habitis, et exi-
stentibus, Ducatu eodem Oppaviensi sponte, ac de bona voluntate ceden-
dum decrevimus, cedimusque, omnes Subditos eiusdem Ducatus, sic, ut
praemissum est, Sacramento, ac sponsione fidei Nobis quomodocunque
obnoxios, sua Serenitati reddimus, eodem à Sacramento Nobis prestato
abolimus, et liberamus, absoluteque perpetuo promulgamus tenore
Presentium mediante. Harum, quibus Sigillum nostrum est
subappensum, testimonio Litterarum. Datum Cracoviae Feria Sexta
ante Dominicam, Reminiscere, prima Anno Domini Millesimo
Quingentesimo, Undecimo. Regni Quinto.

